



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 7. Quid sit quæstio, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

QVÆSTIO VII.

Quid sit quæstio & quatuorplex?

- 272 **Q**uæstio est oratio quædam dubitativa, quæ de obiectivâ propositione apprehensâ quæritur, an ita sit, ut apprehenditur, vel secus. Unde nomen *quæstio* propriè loquendo, de formali solum vocali, & scriptâ, aut etiam mentali venit dicendum, vtpotè quarum obiectum propositio potius obiectiva, quam quæstio obiectiva appellatur, quatenus sub propositionem formalem cadere potest, tamen etiam cadere possit, aut cadat de facto sub quæstionem formalem. Distinctionis tamen gratia propositionem obiectivam simplicem tantum ac dubitativè apprehensam citra affirmationem, aut negationem quæstionem obiectivam dicemus.
- 273 Dividitur autem in primis quæstio celebri divisione in quæstionem quoad *Quid est* & quæstionem quoad *An sit*. Per quam divisionem, ut autumo, voluerunt præfati Philosophi denotare duplex genus veritatum, quæ de rebus possunt quæri, & sciri: earum nimirum, quæ ad statum rerum quiditativum, & earum, quæ statum rerum existentialem pertinent, iuxta doctrinam *suprà* tactam *disp. 2. quæst. 3.* & ex professo latè expositam *disp. 10.* Quo pacto si intelligatur ista divisio, quæstio quoad *Quid est* comprehendit omnem quæstionem de prædicato pertinente ad statum quiditativum, quodcumque illud sit, siue per illam quæritur de re propositâ, quid sit, siue qualis sit, siue quatuorplex, &c. nimirum intra illum statum. Quæstio verò quoad *An sit* comprehendit omnem quæstionem de prædicato pertinente ad statum existentialem, siue per eam quæritur, quid sit res propositâ, siue qualis, siue quatuorplex, &c. videlicet existentialem.
- 274 Aliter tamen possunt, & solent intelligi duæ dictæ quæstiones, ita scilicet, ut quæstio *Quid est* solum sit de prædicato essentiali rei, de quâ quæritur, in quocumque illa statu consideretur. Per quæstionem autem *An sit* solum quæritur de re, an existat; intellectus tamen hoc modo dictis quæstionibus, divisio quæstionis in illas adæquata non erit: quia in neutro membrorum diuidentium comprehenderetur quæstio de prædicato accidentali, hoc est, essentiali rei adiecto, quâ quæritur de re *Qualis sit*. In hanc igitur debet etiam quæstio dividi, iuxta eiusmodi sensum; imò in hæc in rigore includitur quæstio *An sit*: quia existentia, quam de re quærit, è numero prædicatorum est, quæ Metaphysicè adiectur essentiali eius, ut ex dictis *disp. 9.* & sæpe aliàs satis est notum. Quæstio autem quatuorplex est, quæ rei divisionem exposcit, atque sub initium cuiusvis scientiæ de quâvis re tractantis debet examinari, ad quæstionem *Quid est*, aut ad quæstionem *Qualis est* reducenda venit. Nam, vel exposcit rei divisionem per partes intrinsecas, vel per extrinsecas adiunctas. Si primam, reducit ad primam; si autem secundam ad secundam. Cæteræ autem quæstiones *Propter quid est*, *Quare est*, *A quo est*, *Ex quo est*, *Quando est*, *Ubi est*, *Quomodo est*, & aliæ innumera huiusmodi sub quæstione *Qualis est* includuntur. Quia per omnes quæritur de re propositâ prædicatum aliquod ipsius essentiali superadditum vel Physicè, vel Metaphysicè, atque ad eò illi acciden-

tali, sumpto hoc vocabulo latissimè, iuxta dicta de prædicatis essentialibus, & accidentalibus rerum *suprà disp. 17. q. 7.*

Per hæc exponendus est Arist. qui *lib. 2. Post. 275 cap. 1.* postquam dixisset: *Ea, quæ quærentur eorundem numero sunt, quot sunt ea, quæ sciuntur*, ad has quatuor reducit omnes quæstiones *An sit*, *Quid est*, *Quia est*, & *Propter quid est*. Quatum tres priores eadem sunt, quas nos recensimus, nam quæstio *Quia est*, & *Qualis est* in idem recidunt. Addidit autem Arist. quartam *Propter quid est* aliàs sub eadem *Qualis est* comprehendam. Quia, quod maxime de rebus scire desideramus, atque adeò quærimus, postquam iam eas esse scimus, est causa, aut ratio à priori, propter quam sunt.

Dubitari hic potest, utrum per quæstionem *An sit*, vel potius per quæstionem *Quid est* vniuscuiusque obiecti scientia, siue tractatio, sit inchoanda. Multi censent, prius de vnoquoque obiecto, cuius tractatio suscipitur, quærendum esse, *An sit*, quam *Quid sit*. Ego verò censo, cum distinctione respondendum. Atque ita dico primò, aliqualem explicationem quiditatis obiecti, cuius scientia, siue tractatio inchoanda suscipitur, omnino præmittendam esse ante omnia, eam scilicet, quæ necessaria est, ut sciatur de quo est agendum, quidve sit significatum nominis, per quod proponitur obiectum, cuius tractatio assumitur. Hoc enim, si ignoretur, neque *An sit*, de illo quæri poterit, ut est notum. Quare, si per quæstionem *Quid est* amplius, quam id non inquiratur, consequenter affirmo, à tali quæstione *Quid est* debere omnem scientiam, aut tractationem cuiusvis obiecti inchoari. Quod à nemine negari potest, ut etiam est notum. Dico secundò. Quando scientia, quæ tractanda suscipitur, dumtaxat considerat obiectum, pro ut in statu quiditativo, ut considerant pleræque, omnino inchoandam eam esse à quæstione *Quid est*: quia quæstio *An sit* in tali scientiâ locum non habet, cum talis scientia de obiecti existentia, à quâ præscindit, nihil curet. Dico tertio. Quando scientia tractat de obiecto, pro ut in statu existentialem, præmissa aliquali explicatione quiditatis eius secundum se iuxta dicta, antequam inquiratur, quid illud sit existentialem, & quale; an sit, examinandum est, atque adeò quæstio *An sit* præponenda. Quo casu, & sensu dumtaxat vera est illorum sententia, qui ante quæstionem *Quid est*, censent, quæstionem *An sit* debere præponi.

Ex quibus patet, quomodo omnis scientia per aliquam quæstionem *Quid est* inchoari debeat. Quomodo in plerisque, ne locum quidem vllum habeat quæstio *An sit*, & quo solum casu hæc ante illam debeat præmitti. Post quæstionem autem *Quid est* in omni scientiâ immediatè poni exactèque examinari debet quæstio *Quatuorplex est*, exactè expositis divisionibus obiecti sciendi. Post quam est sequenda quæstio *Qualis est*, quæ passionem ipsius obiecti tum proprias, tum communes inquirat, aut etiam contingentia accidentia. Hæc tamen quæstio, quia nimis vniuersalis est, sæpe sæpius in multas alias dissectari solet per quas speciatim solet inquiri de singulis causis, de singulisque effectibus obiecti, de aliisque, quæ ad ipsum pertinent singillatim, pro ut ratio postulat.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit propositio per se nota. Quid nota per aliud. Quotplex. Et qualis?

²⁷⁸ **Q**uæstio hæc dumtaxat agit de propositione obiectiua, non item de formali: quia sola propositio obiectiua est, quæ per se, vel per aliud nota, siue noscibilis dicenda venit. Ea autem propositio obiectiua dicitur per se nota, siue immediata, quæ ex terminis ipsis semel conceptis, siue apprehensis citra discursum est iudicabilis, atque adeo scibilis. Ea verò per aliud nota, siue mediata, quæ ex alio quopiam prius iudicato medio discursu est inferibilis, atque ita iudicabilis, & scibilis. Quoniam autem propositio obiectiua non solum euidenter, sed sæpè etiam probabiliter tantum, sæpè etiam improbabiler ex ipsis terminis est iudicabilis, atque iudicatur de facto, ut cernitur in scientiis, & facultatibus, aliisque notitiis humanis, quæ non solum ex euidentibus, sed ex probabilibus, aut etiam improbabilibus principiis ex terminis, & citra discursum iudicatis procedunt. Ideò propositio per se nota non solum euidenter, sed probabilis, atque etiam improbabilis esse potest; tamen vulgò sola, quæ est euidenter, solet vocari per se nota. Sed prorsus abs iure, quando tot facultatum probabilium, discursuumque improbabiliū principia per se nota sunt, ut expectimur. Quoniam item sæpè contingit, ut eadem propositio obiectiua & sit ex terminis ipsis per se iudicabilis, & ex alio prius iudicato, ut potè cum illa connexo iudicari etiam possit medio discursu. Ideò sæpè contingit, ut eadem propositio obiectiua & per se, & per aliud sit nota, siue noscibilis, quidquid nonnulli contradicant. Est quippe propositio per se, aut per aliud notam, & esse per se, aut per aliud noscibilem, pro eodem accipitur in præfenti.

²⁷⁹ Cumque propositio obiectiua respectu ad intellectum, per quem est ex ipsis terminis iudicabilis per se nota, siue noscibilis dicatur consequens est, ut propositio obiectiua, quæ comparatione vnius intellectus per se nota, siue per se noscibilis est, comparatione alterius talis non sit, eo quod primus suā perspicacitate, & acumine terminorum penetrat conuenientiam, aut repugnantiam, quam secundus ob suam hebetudinem, aut ruditatem non assequitur. Vnde fit, ut sæpè comparatione sapientis, & ingenioli sit per se nota, siue noscibilis propositio, quæ comparatione rudis, aut idiotæ talis non est. Quò rursus fit, ut quò quis perspicacior, aut magis exculit intellectus est, eò plures sint relatè ad ipsum propositiones per se notæ. Quemadmodum, eò etiam sunt plures propositiones euidentes iuxta doctrinam traditam *suprà disput. 4.* Nihilominus, sicut non dicitur propositio euidenter absolutè, & simpliciter, quæ vni, vel alteri intellectui est talis; sed tantum, quæ vel omnibus communiter, vel plerisque, ut ibi notauimus, ita non dicitur propositio per se nota absolutè, & simpliciter, quæ comparatione vnius, aut alterius intellectus talis est; sed tantum, quæ comparatione omnium communiter, aut fere omnium, aut saltem plurimorum.

²⁸⁰ Id, quod itidem venit dicendum de propositione notà per aliud. Nam, & hæc respectu ad in-

tellectum, à quo per aliud est iudicabilis, dicitur talis; atque ita sæpè contingit, ut propositio, quæ comparatione vnius intellectus per aliud prius cognitum noscibilis est, non sit talis comparatione alterius. Quod ex duplici capite nasci potest: vel, quod hic penetrare, atque adeo iudicare non potest illud aliud, per quod propositio erat noscenda, vel, quia est illud iudicet, eius connexionem cum propositione penetrare, ac deprehendere non valet. Duo quippe præsciri debent, ut propositio per aliud noscibilis, medio discursu noscatur, & iudicetur iuxta doctrinam latius traditam *suprà disput. 2. quest. 5.* primum antecedens illud, ex quo prius iudicato, est inferenda propositio obiectiua, quæ propter eam consequens dicitur. Secundum connexio ipsius antecedentis cum ipsa propositione consequente. Fieri autem potest, ut talis propositio per tale antecedens non sit noscibilis respectu alicuius intellectus, vel quia vtrumque, vel quia alterum tantum ex duobus dictis prænotendis noscibile ab ipso non est; cum tamen respectu alterius intellectus valentis vtrumque prænotete noscibilis sit.

Vnde obiter colliges primò: quando propositio obiectiua per aliud medio discursu noscatur, semper, aut plerumque saltem, interuenire aliquid notum per se ex terminis ipsis, etiam cum illud aliud non per se, sed per prius aliud notum est, nimirum, connexionem cum ipsa propositione illiusmet, ex quo ipsa immediate inferitur. Ex duobus enim, quæ prænotari debent, ut dicebamus, ad inferendum quoduis consequens ex antecedente immediato, nempe antecedens ipsum, & connexio eius cum consequente, connexio, aut semper, aut plerumque saltem cognoscitur ex terminis ipsis, etiam quando antecedens per aliud prius notum est. Cum enim quis per longam rationationem ex A iudicato ex terminis inferat B, & ex Billato ex A, inferat C, & ex Cillato ex B, inferat D, & ita deinceps, etsi B iudicetur per A prius iudicatum, & C per B, & D per C, &c. connexiones tamen B cum C, & C cum D & communiter iudicantur ex terminis. Dico communiter: quia fieri potest, ut B formaliter proxt connexum cum C inferatur ex A, & C similiter ex B, & D ex C, quo casu etiam connexiones erunt iudicatæ per aliud, & non ex terminis. Hoc tamen raro contingit, vel quia, dum inferitur B ex A ad connexionem, quam habet B cum C non attenditur; sed tantum, quando progreditur intellectus ad inferendum ex B, C, & in sequentibus pariter. Vel quia A, reuera non connectitur immediate cum B formaliter, proxt connexo cum C, nec B cum C, nec C cum D, atque adeò nec B est inferibilis ex A formaliter proxt connexo cum C, nec C ex B, nec D ex C similiter, ac proinde tantum ex ipsis terminis noscibilis sunt connexiones istæ.

Vnde secundò colliges. Quidquid requiritur, aut ²⁸¹ conducit ad bene iudicandum ex terminis propositiones per se notas, etiam requiri, & conducere ad bene discurrendum pro iudicandis etiam propositionibus notis per aliud; siquidem, inter discurrendum connexiones, quibus subicitur discursus, ordinariè iudicantur ex solis terminis, & sæpè non sunt aliter iudicabiles, ut videmus.

Et quoniam iudicia habita ex terminis propositionis obiectiue citra discursum ex præiis simplicibus apprehensionibus ipsorum terminorum nascuntur saltem ut ex quibusdam conditionibus propo